

Q. N. 352, 34



HYPERBOLAS  
DE  
MVLITITVDINE IN MVNDO MALORVM  
INEPTAS

\*\*\*\*\*

P R A E S I D E  
I O A N N E F R I D E R I C O  
H I L L E R O

PROF. ELOQV. PVBL. ORD. ATQVE ALVMN.  
ELECT. EPHOR.


XI. KALEND. OCTOBR. A. R. S. CI<sup>o</sup> CCC LXVII

IN AUDITORIO MAIORI

DEMONSTRAT


AVCTOR

IOANNES CHRISTIANVS BORMANN  
BELGORA - MISN.  
SACRAR. LITERAR. CVLTOR



VITEMBERGAE  
EX OFFICINA GERDESIANA.







HYPERBOLAE DE MVLTTITUDINE IN MUNDO  
MALORVM INEPTAE

§. I.

Quanquam orationem tropi et figurae mirifice *Vulgaris hy-  
uariant atque ornant, usus tamen horum or- perbolarum  
namentorum plurimum prudentiae postulat,  
talium usus.*  
ne orationi tenebras offundant, risumque  
sanis hominibus moueant partim, partim illos impietate  
sua offendant. Quod sicut in luminibus orationis reli-  
quis est diligenter retinendum, sic hyperbole multas cau-  
tiones postulat, quas e Graecis T O N G I N V S , e Latinis  
QVINCTILIANVS, praeter ceteros persequuntur. Haec  
enim superlatio, seu superiectio veri fines migrat, propter  
ea quod rem uel nimis auget, uel minuit. Qua propter

A 2

ab

4

ab iis maxime frequentatur, quibus animus est commotus,  
quae perturbatio facit, ut in querimoniis de malis in mundo  
plurimis saepius audiatur. Homines enim calamitate af-  
flicti, uulgas in primis rude, hoc laborant uitio, ut mini-  
ma incommoda in maxima statim uertant detimenta, et  
mundum tanquam miseriarum omnium domicilium de-  
scribant, qui sapientia praeditis, ob tot tantaque uirtutum  
diuinarum specimina, in creando hoc gubernandoque  
praestita, admirationem mouet. Sententiam suam ut sta-  
biliant, ad ipsa uitiae nos ducunt incunabula, et, haec lucretus  
esse plenissima, exemplis demonstrare student, imo uero  
clamat, homines omnium rerum creatarum esse infeli-  
cissimos, quibus cum aerumnae nascantur. Tum ad uitiae  
humanae progressum transcunt, et, quantopere laboret ge-  
nus humanum, conqueruntur, propter innumerabiles  
casus, quibus singuli dies premantur. Quum forte sua  
nunquam hominuat contentus, alios se feliciores censens,  
uota uouet stolidissima interdum, quorum si non damna-  
tur, iniuriam nescio quam putat sibi illatam. Vbi per  
summi numinis bonitatem senectutem adeptus est, in qua  
commode tranquilleque uitam traducere poterat, haec  
tamen onus ei videtur, Aetna grauius, grandibus mole-  
stiiis obruta. Nihil uero omnium uidetur exitu ex hac  
uita terribilius, quippe qui omnes nobis fortunas eripiat.  
Salse acuteque hanc querimonias fundendi consuetudinem  
ridet **HORATIVS,** <sup>a)</sup> eam militum, mercatorum, agrico-  
larum, iurisperitorum demonstrans exemplis, et suas cuius-  
que uoces afferens,

*Quifit*

<sup>a)</sup> Satyr. L. I. Sat. 1.

*Quisit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sorteem  
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa  
Contentus uiuat, laudet diuersa sequentes?  
O fortunati mercatores, grauis annis  
Miles ait, multo iam fractus membra labore,  
Contra mercator, nauim iactantibus austris,  
Militia est potior. Quid enim? concurritur, horae  
Momento cira mors uenit, aut uictoria laeta etc.*

Iure H̄ORATIVM hanc dementiam perstringere, et quotidianus nos docet uitiae usus, et uulgi uociferationes satis ostendunt, querulae magis, quam de statu suo laetac.

## §. II.

Poetae, qui maximum in eo studium ponunt, populo *qui uulgares  
premunt sententias, has  
querelas repetunt maxime.* ut placeant, quae faciunt carmina, haud facile populares deserunt sententias, ne contrariis iudiciis alios offendant. Mirum igitur non est, si questibus de mundo calamitosissimo abundant. HOMERVUS praecipuus dux fabulae habendus, quem certatim recentiores sequuntur. Ille uero, quid sentiat, hac imagine describit. b)

*Ος γάρ ἐπεκλώταντο θέσι δειλίστι βροτοῖσι,  
Ζάσιν ἀχυρμένους, διτοι δὲ τ' ἀκηδέες εἰσὶ<sup>a</sup>  
Δοιοὶ γάρ τε πίθοι καταπείσαται ἐν Δίοις ὅδει  
Δύρων, οἷα δίδωτι, καπῶν, ἔτερος δε, ἑάνω.  
Οἱ μὲν καμμίξας δώῃ ζεὺς τερπικέρανος,  
Αλλοτε μὲν τε κακῷ σγε κύρεται, αλλοτε δὲ ἐσθλῷ.  
Οἱ δέκε τῶν λυγρῶν δώῃ, λαβητον ἔθηκε,  
Καὶ ἐ κακῇ βέβρωσις ἐπὶ χθόνα διὰν ἐλαύνει.  
Φαιτῷ δὲ γέτε θεσίστι τετιμένιος, γέτε βροτοῖσιν*

A 3

Sic

b) Iliad. XXIV. v. 525. ff.

¶ ¶ ¶

*Sic enim faro tribuunt Diis miseris mortalibus,  
Ut uiuant tristes, ipsi uero sine curis sunt.  
Duo quippe dolia iacent in Iouis limine  
Donorum, quae dat, alterum malorum, alterum uero  
bonorum.*

*Cui quidem miseros dederit Iupiter fulmine gaudens,  
Interdum quidem in malum ille incidit, interdum et  
in bonum:*

*Cui uero ex malis dederit, iniurias obnoxium facit,  
Et illum exitialis dira calamitas super terram aliam  
exercet,*

*Vagaturque nec diis honoratus, neque mortalibus.*

Sed PLATO iam <sup>c)</sup> hic HOMERVM uituperat, impictatis  
manifestae causa: Οὐκ ἄρτα αἰποδεκτέον ὅτε Ορῆς, ἔτ' ἄλλα  
ποιητές τάντη τῇ ἀμαρτίᾳ περὶ τὰς θεᾶς αἰνούτως ἀμαρτάνοντος,  
καὶ λέγοντος, ὃς δοῖτι πίθεον ἐν Διὸς ὕδαι, πηρὸν ἐμπλεοί ὁ μὲν  
ἐσθλῶν, ἀυτὸς ὁ δειλῶν. Nihilo secius PLINIUS, libro VII. hi-  
storiae naturalis praefatus, in castra eorum, qui hyperbole  
in deplorandis huius mundi malis immodica utuntur,  
transit, copiose probaturus, *naturam nouercam potius age-  
re, quam parentem.* Rationes proserit tam ridiculas sae-  
pe, ut ab ratione penitus abhorreant. Nihil dicam de  
hominis nuditate, quam cum feliciore rerum inani-  
matarum, animantiumque conditione frigide comparat,  
nihil de vinculis, quibus membra necuntur, nihil de medi-  
cinarum multitudine ac morborum, quae partim prosunt  
homini, partim culpa nostra contrahuntur. Istud quam  
temere pronuntiat, *nil homini natura datum, quam flere.*  
Nec minore temeritate SILENVUM sectatur atque EVRIPIDEM,  
qui non nasci optimum putabant, aut quam oxyssime ab-  
oleri-

c) De Republ. L. II.

ꝝ

oleri. Sed ante PLINIVM TULLIVS non satis sibi tempe-  
ravit, vitam beatorum cum vita praesente componens, *in*  
*somnio Scipionis d)* „Immo uero ii uiuunt, qui e corporum  
„vinculis, tanquam e carcere, euolauerunt: uestra uero, quae  
„dicitur, uita mors est. Quae CICERONIS verba mere  
esse SOCRATICA, atque e mortis philosophicae commento  
sumpta, quis non statim intelligit.

### §. III.

Quum homo homini natura sit aequalis, et proxima  
his in terris societate coniunctus, non est, quod mireris,  
aliorum nos uicissitudines attentius obseruare, acriusque  
sentire. Nam ex eorum calamitatibus ratiocinamus,  
quicquid aliis accidat, etiam nobis euenire posse. Vir au-  
tem bonus TERENTIANO similis est CHREMETI, qui  
nihil humani a se alienum esse putat, quando non suas  
modo res curat, sed etiam aliorum, humanitatis sensu du-  
ctus. Iam plerique sunt homines culpa sua miseri. Quod  
uidentes alii, genus humanum calamitatibus oppressum  
putant, immo rebus creatis omnibus infelicius. Contra  
ea, sicut iam e PLINIO cognouimus, feliores eos, qui  
nunquam mundum huncce aspexerint, praedicant, eosque,  
qui breui post nativitatem moriantur, beatiores dicunt:  
Permulta poetarum testimonia, quae hanc sententiam con-  
firmant, STOBAEVS attulit in eorum dictis, TIT. CXXI.  
e quibus haec modo decerpam, quae superiora illustrant.  
SIC EVRIPIDES breuiter:

Tὸ μὴ γενέθῃ κρείσσον, οὐ φῦναι, βετοῖς.  
Homini expedit non esse, quam nasci, magis.

Idem

d) Cap. III.

7

In primis ho-  
minem omni-  
um rerum cre-  
aturam infel-  
icitum indi-  
cant.

Idem vitam cum morte contendit hanc in sententiā:

Tις δὲ δίδει, εἰ ζῆν τοῦθ, ὁ κέντητος, θανάν,  
τὸ ζῆν δὲ θιγόσκει εἴς; πλὴν ὅμως βροτῶν  
νοτούσιν εἰς βλέποντες, εἰ δὲ ὀλωλότες  
ἀδεν νοσούσιν, ὃδε κέκτητος κακό.

*Quis scit morine uiuere, atque hoc uiuere,  
Quod nos vocamus, sit mori? hoc certe liquet:  
Morbis laborat vita: qui summum diem  
Obiit, miseriis pariter et morbo uacat.*

Consentit THEOGNIS, quando felicissimum eum iudicat,  
qui nunquam in lucem editus est

'Αρχὴν μὲν μὴ Φύνον ἐπιχθωνίους ἄριστον  
μηδὲ εὐθέων αυγὰς ὅξεος ἡλίου.  
Φύτα δὲ σπως ὕδατα πύλας αἰδασ περῆσαι,  
καὶ πειθόμεν πολλὴν γῆν ἐπειμησάμενον  
Optima fons homini natum non esse, nec unquam  
Alpexisse diem fluminiferumque iubar.  
Altera iam genitum demitti proteinus orco,  
Et pressum multa mergere corpus humo.

Eadem fere sunt uerba, ac IOBI, qui tot calamitatibus con-  
turbatus, natalem deuouebat.

#### §. IV.

*Nec mirum,  
quod mala  
acris senti-  
mus, quam bo-  
na.*

Sicut multi homines eo laborant uitio, ut sint be-  
neficiorum immemores, sic etiam peccant, si tot bonorum,  
quibus diuina eos beaut prouidentia, obliuiscuntur. Cu-  
ius rei ratio ei, qui ingenium mentemque nouit hominum,  
statim est in promtu. Sensus enim malorum, id quod  
uitae usus satis superque demonstrat, acrior est, quam  
bono-

❧      ♫      ⌈

bonorum. Si, ut exemplum addamus, aliquis per longum temporis spatium ualetudine fuit recta usus, prius donum hoc non agnoscit, quam si fuerit in morbum grauem, et periculi plenum implicitus. Tunc pleno ore querelas uomit, quod facturus non esset, nisi malum acrius sentiret. Cuius de sensus causa merito sumus solliciti. Insignis latet ratio in eo, quod multitudine a bonis superantur mala. Haec igitur quum sint rariora, nouitatemque habeant, omnium attentionem augent, cum e contrario bonorum pretium quotidiano minuitur usu. Optime prima naturae rei indicant fontem, in naturali instinctu felicitatem nostram procurandi, malaque depellendi. Hic longe uehementior est, quam bonorum cupiditas, quod mala nos destruere uidentur, multis autem bonis facile caremus. Iam sensus fortior, quod Psychologia docet, debiliorem suppressit, ut huius, tanquam obscurioris, consciit amplius non simus. Rebus sic explicatis, omnis cessabit admiratio, cur mala stimulos relinquant acriores, quam bona.

### §. V.

Hactenus de querelis. Nunc, quam ineptae, quae Sed haec querelae sunt in- inde nascantur, sint hyperbolae, declarabimus. Ineptae epiae, quod uocantur hyperbolae, quae sunt ultra modum. Sequimur in mala ni- hic mis exagge. QUINTILIANI INSTITUTIONES ORATOR: <sup>e)</sup> ubi rantur, recte monet: *Quamuis hyperbole omnis ultra fidem est, non tamen esse deber ultra modum.* Non opus exempla cumulare censeo, quibus nostrum saeculum abundat. Quodsi desideras quedam, GRAEVII adreas *praefationem ad FLO-*  
*RVM*, et SWIFTII ANTI-LONGINVM, <sup>f)</sup> ut, quantopere  
B inge-

<sup>e)</sup> L. VIII, 6.

<sup>f)</sup> p. 94. sqq.

❧ ♫

ingenii exultet impetus, intelligas. Vnicum tantum affere libet, ubi SWIFTIVS ineptam inepti narrat hyperbolam de uirgine ortus obscuri, qui oculorum nitorem obscurare haud potuerit, tanti fulgoris, ut tota lux fuerit. Ad consimiles pertinent hyperbolas de multitudine in mundo malorum querelae. Nimis enim solent mala exagge-  
rare. Cuius intemperantiae specimina facili reperimus ne-  
gotio, in hominibus etiam grauissimis. Amiserat CICERO  
TVLLIAM filiam, ex partus morbo mortuam. Quem ca-  
sum tam moleste tulit pater, ut, quod PLVTARCHVS testa-  
tur, nec amici satis eum consolarentur, neque ipsa Philo-  
sophiae praecepta dolorem leuarent. Sed, quam sint immo-  
dicae querimoniae CICERONIS, SVLPICIUS in illa ela-  
borata consolatione pluribus declarat. Quam grauiter ar-  
gumentatur: g) Hem, nos homunculi indignamur, si quis  
nostrum interierit, quorum uita brevior esse debet, cum uno  
loco tot oppidum cadauera proiecta iaceant? uisne tu te cobi-  
bere, et meminisse, hominem te esse natum? Transfert idem  
ad feminae decepsum: In unius mulierculae animula si ia-  
glura facta est, tanto opere commoueris? quae si hoc tem-  
pore non suum diem obisset, paucis post annis tamen ei mo-  
riendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Taceo reliqua  
argumenta quae cuncta ad liquidum perducunt, non vul-  
gus modo, sed nobilioris etiam animi homines magnitu-  
dinem malorum amplificare nimium, praesertim cum sue-  
rit animus commotior.

### §. VI.

2.) mala uera  
atque appa-  
rentia commi-  
scitur.

Deinde merito hyperbolae iudicantur ineptae, quae  
mala huius uniuersi immane quantum cumulant, atque  
adaugent,

g) Cicer. Epist. ad diu. IV, 5.

adaugent, quia uera mala cum imaginariis permiscentur. Haec uera saepissime nobis uidentur, ac felicitati nostrae inimica, praeferit, si tranquillitas animi turbatur, uicis- studinibus rerum in utramque partem. Plerique enim ex- terna ducuntur rei specie, pauci naturam et conditionem ueram perspiciunt. Ratio est in opinione sensuum praeiu- dicata. Nam sensibus regimur prius, quam ratione, illis- que promptiore obedienciam praestamus, quod saepius res nobis, sicut se habent, ante oculos ponunt. Itaque, sicut decipimus specie recti, sic mali species permultos fal- lit. Vitae breuitas humanae quot homines offendit, cum tamen in bonis sit numeranda, quibus summi numinis be- nignitas homines, per ultimorum parentum legis de arbo- ris uertitiae non uescendo fructu uiolationem, deprauatos, beauit. Nunc enim in statum hunc miserrimum redacti, ut nitamur in ueritum, proclives ad peccandum, innume- rabilia committeremus flagitia, si uita frueremur, quae multa saecula duraret. Malorum taceo acerbum sensum, qui homines longiore temporis interuallo premeret. Quam ob caussam praeclare nobiscum agitur, quod uita praesens citius finitur, nosque in statum longe meliorem transferi- mur. Quodsi rationem in consilium semper adhiberemus, hyperbolarum tam ineptarum nos statim puderet in malis innumerabilibus, quae uel mala non sunt, uel maioribus bonis compensantur.

### §. VII.

Sed bona non simul numeramus, in malis unice de-  
fixi. Conuertamus oculos modo in hominem morbo cor-  
reptum. Hic quantas de luctuosa orbis terrarum conditio-

3) bona non  
simul nume-  
rantur.

ne lamentationes profert. Sed eum interroges quaeso, quamdiu prospera fuerit ualetudine usus, ut se ipse animi damnat ingrati. Saepius enim per totam optime ualuit aetatem, fine ulla offensione. Quid igitur iustius, quam ea, qua par est, patientia paucorum ferre dierum molestias, recordatione superioris uitiae commodioris. Sed aliter longe se gerunt plerique, quos MARTIALIS <sup>b)</sup> iure castigat. In memoriam enim IULIO sodali concordem tot annorum reuocat amicitiam, sed, eam ab omnibus acerbitatibus liberam fuisse, negat, quamuis maxima pars amoenitatibus abundarit. Lapillis igitur suadet singulos dies notare, albis laetos, calamitosos nigris, ac postremo computare, quo longe maiorem alborum numerum reperiat.

*Triginta mibi quatuorque messes  
Tecum, si memini, fuere, Iuli:  
Quarum dulcia mixta sunt amaris,  
Sed iuxunda tamen fuere plura.  
Et, si calculus omnis, buc et illuc  
Diuersus, bicolorque digeratur:  
Vincet candida turba nigriorem.*

Deinde non bonorum modo nostrorum numerus est ineundus, sed alienorum etiam. Nimius vero amor nostri, atque inuidia facit, ut, quod aliis contigit boni, malis statim nostris annumeremus. Nam *cœca*, secundum LIVIVM <sup>i)</sup> est inuidia, nec quicquam aliud scit, quam derelicare uirtutes, corrumpere honores ac praemia eorum. Postremo, ne præsens solum tempus spæctetur, sed futurum etiam,

<sup>b)</sup> Epigramm. L. XII, 33.

<sup>i)</sup> Histor. L. XXXVIII, 49.

etiam, quo saepissime detrimentum, quod nobis illatum putabamus, large egregieque resarcitur. Exemplo hoc uti licet. Petit aliquis, in literarum scientiis optime versatus, honores, sed fert repulsam. O quantas iactat lamentationes, quantopere deplorat fortunam aduersam? Breui post diuina eum prouidentia ad honores euehit ampliores longe, et locupletiores prioribus. Nihilo tamen secius, quoties vitae aduersa persequitur fata, semper hoc dedecus multis addit uerbis.

### §. VIII.

Hyperbolac de copia malorum in mundo tanto magis sunt ineptae, quod horum magna multitudo culpa nostra saepius contrahitur, ut, si uoluissimus rationi conuenienter uiuere, ea facile potuissimus cauere. Hic hominis esset sani, actiones explorare suas, et, quid ex iis consequatur, quam diligentissime attendere. Cum pri-<sup>4) mala sae-  
pe culpa no-  
stra sunt con-  
tracta.</sup> mum se fortunae suae fabrum esse uiderit, se debebat ipse damnare, errores agnoscere, emendare, et cum pudore cautius mercari in posterum. Sed quot putas horum reperiri? Maxima hominum pars alias longe rationes init. Ne enim in imprudentia ac stupiditate uideatur ratio malorum latere, uariis se modis excusat, suaque peccata, atque in alios culpam coniicit, putans, se praeter ius fasque multari. Sic indignatione moti complures, calamitatibus offenduntur, audacie ore queribundas uoces efferunt, uel omnia fato tribuentes, uel Dei prouidentiam, aliorumque malitiam accusantes. Ne solos infimae fortis homines, uulnusque iners, hac dementia laborare putes, hominum quoque melioris conditionis, imo literatorum societas his personat uocibus. Lege librum SPIZELII, quem u-

B 3 cat,

cat *Literatum infelicem*, auctum *analectis de calamitate literatorum* ab IOANNE BVRCHARDO MENCKENIO, si uis cumulata reperire specimina. Quod si studiosius collecta perquisiueris exempla, facili reperies negotio, haud paucos miseriarum suarum culpam sustinere. Rei illu-strandae causa unicum tantum feligam. SIKIVS, uir non mediocris doctrinae, in orientis praeclerit literis, dotibus tam eximiis ad insignem honoris gradum citius peruenire potuisset, nisi morum folidorum offensione sibi ipse fuisset impedimento. Nihil autem magis miserandum, quam mors tremenda, qua manus sibi consciuit, iuuentutis minus honorifcae conscientia. Angustiis enim fortunae coactus, militiae nomen dederat. Sed, quoniam genus hoc uitae parum placebat, excesserat. Deprehensus supplicio erat afficiendus. Sors autem ipsi tam prospere cecidit, ut uitam seruaret. Quem casum cum quis ei in conuiuio exprobraret, indignatione percussus, laqueo uitam miserrime finiuit. Quam calamitate in hominis quoties cogito, toties non obscure cognosco, mores cruditorum humanitati literarum non semper respondere.

### §. IX.

Istud in his hyperbolis ineptissimum, maximeque nefandum, quod postremo mala in mundo quam plurima Deo criminis dantur. Deus enim sanctitatis innocentissimae causa mala, praesertim *moralia*, detestatur, ut sine maxima impietate auctor eorum nequeat haberi. Hic mihi maximo-per Chrysostomik) pietas placet, qua maluit sexcenties defodi, quam Deum dicere facinorum causam. Nil hilo

k) Homil. XXIII, in Act. Apost.

*s) culpam ue-  
ro in Deum  
conicimus,  
cuins mun-  
dus erit sem-  
per optimus.*

hilo tamen fecius **BAYLIUS** numen summum passim plurimi  
 mis onerat accusationibus, quas **LEIBNITIVS** in Theodicea  
 grauiter atque accurate reprehendit. Quis audet, si  
 cives deliquerunt, in principem culpam transferre, ubi ni-  
 hil praetermisit, quod ad animos eorum emendandos, at-  
 que a uitis retinendos pertineret, legibus sapientissime la-  
 tis. Quis non statim haec ad Deum accommodabit, sacris  
 oraculis adductus, non ratione modo. In primis uoces  
 tam temerariae mox comprimitur, simul futuram uitam,  
 quae pars est huius mundi, nobis proponimus. Haec, quic-  
 quid iniustum ac deforme nobis uidetur, in ordinem redi-  
 get, infinitaque beatitate compensabit, aut infinitis poe-  
 nis ulciscetur. Neque enim damnatos e vinculis suis di-  
 mittere opus est, sicut multi hodie faciunt, intempestiu-  
 tacti misericordia. Noli dicere, nolle te immensae Dei  
 lenitati fines ponere. Cur enim non dubitas iustitiae  
 diuinae terminos figere?



QKTF 834

X 332 0407

VD18

Q.H. 352, 34



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue



### Farbkarte #13



PERBOLAS  
DE  
NE IN MVNDO MALORVM  
INEPTAS  
RAE S I D E  
E F R I D E R I C O  
I L L E R O  
V. PVBL. ORD. AT QVE ALVMN.  
ELECT. EPHOR.  
. OCTOBR. A. R. S. CI CCLXVII  
VDITORIO MAIORI  
DEMONSTRAT  
AVCTOR  
HRISTIANVS BORMANN  
BELGORA - MISON.  
AR. LITERAR. CVLTOR

VITEMBERGAE  
OFFICINA GERDESIANA.

